

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Incarnatio i
cum fonte primo

Mediator Dei et hominum,
ut culpas nostre transgressionis extingueret,
uenit mortalitatis nostre flagella tolerare.

Et qui Patri equalis est per diuinitatem,
propter nos uenit ad flagella per carnem.
Que nimirum flagella non susciperet,
nisi formam hominis dampnati redimendo sumpsisset.
Et nisi primus homo delinqueret,
secundus ad passionum probra minime ueniret.

Gregorius libro III. moralium.

Mediator quidem Dei et hominum, homo Christus Iesus
ut culpas nostrae transgressionis extingueret,
uenit mortalitatis flagella tolerare;
sed qui unius cum Patre eiusdemque naturae est
quomodo per satan motum se aduersus eum Pater asserit,
cum constet quod Patris Filiique concordiam nulla potestatis inaequalitas,
nulla uoluntatis diuersitas interrumpat?
Sed tamen isdem, qui Patri aequalis est per diuinitatem,
uenit propter nos ad flagella per carnem.
Quae nimirum flagella non susciperet
nisi formam dampnati hominis redimendo sumpsisset.
Et nisi primus homo delinqueret,
secundus ad passionum probra minime ueniret.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.14 (CCSL 143, M. Adriaen ed.,
p.131, ll.4-15).